



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. IX. Tertij præcepti Legis diuinæ, quod est, Non accipies nome[n] Dei
in vanum, explicatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

in filiū profluit, nec cū semine tanquā ex propagine, sed nec ex institutione ipsa, sed singulari Dei dono in filio & pietas; & fides, & religio creatur, fit, & inseritur. Nec id quidem tāquam ex merito Patris, sed ex sola & mera ipsius Dei electione, gratia & promissione facta Patri.

Denique quod ad vtriusque membri huius sanctionis comparationem pertinet, longè benignior est Deus, quā acerbior. Glorietur misericordia aduersus iudicium. Iacobi cap. 2. vers. decimo tertio. & dicitur Psalmo 103. Tardus esse ad irā, & magnę benignitatis. At obiicitur, In Deo omnes virtutes insunt æqualiter, quia sunt de eius essētia, & in summo gradu perfectissimōque illi insunt. Nam Deū esse iustū, est esse ipsam iustitiam; ait Anselmus. Resp. Nostri respectu dicitur Deus misericordior, non autem si per se spectetur, aut virtutes inter se comparentur in eo.



CAP. IX.

Tertij præcepti Legis diuinæ, quod est, Non accipies nomē Dei in vanum, explicatio.



E ordine huius præcepti agit Thomas in 2. 2^a. Quæst. 122. Arti. 3. & nos diximus suprā in diuisione. Esse autē tertiu docet Ambrosius in Eph. 6. v. 2. Cōtra Faustum libro 19. ca. 25. Admonitio nō iurandi, conseruatio est à peccato periurij, ait August. Primū autem obiicitur huic præcepto obstare illud quod est Matt. 5. v. 3. & Iac. 5. v. 12. Sit

sermo vester, Est, est: Non, non. Quod ultra est, esse à malo. Hoc argumento commoti Anabaptista, hoc præceptum putant fuisse ceremoniale, & sub Euangelio desuisse, quæadmodum & sequens, quod est Sabbata sanctifices. Cui errori videtur ansa præbuisse Hieronymus, qui in Matt. scribit, concessum esse Iudæis tanquam paruulis, vt per Deum iurarent: vt quemadmodum Deo victimas immolabant, non idolis: ita ne per deos, aut creaturas iurarent. Extat illa sententia & laudatur in Canone Considera 22. Quest. I. Alij putant etiam iurare Christianis licere, non quidem omnibus, sed tantum infirmioribus. Nam perfectis velut Monachis, non licere. Sed responsio alia verior est. Non prohiberi quidem nos à Christo omnino iurare, sed tantum superflue iurare, vel oblique, quia fit Deo iniuria, & eius maiestas sic spernitur. Superflue iurat qui affirmationi & negationi addit Dei nomen & iuramentum, sine quo tamen partes agentes contentæ esse poterant, vel quod in huiusmodi rebus interuenire non deberet iuramentum. Oblique iuratur quum non ipsum Dei nomen, sed eius tamen creaturas velut testes inuocationis illius sumimus, & frustra, & quum non oportet. Sic olim dicebant vbiq; homines, & iurabant, Per diem hoc faciam, Per fidem. Hoc minus & leuius existimantes, quia ipsa Dei vox non audiebatur, interponebaturque. Certè vera est illa Augustini sententia, Non est contra præceptum Dei iuratio, & in epist. ad Publicolam, In nouo Testamto dictum est, Ne omnino iuremus: non quia iurare est peccatum: sed quia peierare est immane peccatum.

Iurare

Iurare autem licere probatur, Quòd ipse Dominus iubet per suum nomen iurari. Ait enim Moses, Iurabis per nomen illius. Deuteronomij 6. versu 13. 10. versu 20. Dominus ipse iurauit, vt extat Exodi 17. v. 16. Psalm. 132. v. 11. Heb. 6. v. 17. Il. 45. v. 23. Angeli etiam ipsi iurant.

Paulus ipse, Deum testem inuoco, ait, in animam meam. 2. Corin. 1. v. 23. Rom. 1. v. 19. de quo August. lib. 19. contra Faust. c. 23.

Christus ipse, Amen amen dico vobis. Deniq; iurare per Deum quò oportet, est cultus ipsius pars. Nam à recta in eum fide proficiscitur.

Quæ sit huius præcepti æquitas, ex hac triplici ratione facillè intelligi potest. Primū, ab honesto. Æquum est vt suus honos & cultus Deo tribuatur. At honoris diuini pars est per illius nomen iurare opportunè. Il. 45. v. 23. Deuter. 6. v. 13. Sophon. 1. versu 4. Secundū, A natura Dei. Est ipse æterna veritas, & cordium testorum testis & scrutator. Ergo quum veritas latet, Deus illius testis, & is quidem solus verissimus cognitor animi nostri, appelladus est. Præterea est mendacij vindex & periurij. Itaque Deo tribuit & veritatem & iustitiam, qui per illius nomē iurat. Tertiū, A necessario. Neesse est inter quos nullus in terris iudex medi⁹ interuenire potest, inter eos Dei nomen, tanquam iudicis supremi interponi, velut inter Reges dum fœdera paciscuntur: sed & inter priuatos, dum veritatis agnoscendæ quilibet alius modus deficit. Hebr. 6. v. 16. vt hominum lites & controuersia sedentur & finiantur, & tuti inter se viuāt homines, maioris alicuius potestatis & numinis metu. Ergo fuit

neceſſe de eo præceptum ponere, & concedere hominibus iurare: in quo tamen ipſo ſumma eſt Dei erga nos benignitas, qui nobis permittit contrectare ſuam maiestatem. Ergo reuerenter & ſanctè colenda habendaque eſt. Et quod ait Auguſtinus libro contra mendacium, Iurare non eſſe de appetendis per ſe, ſed tamen eſſe de neceſſariis, verum eſt: quia ſi eſſemus Angeli, iuramento non egeremus. Eſt tamen iuramentum licitum, ait Thomas 2. 2. Quæſt. 89. Artic. 2. ſiue origo eius ſpectetur, ſiue finis. Origo eſt ex fide. Credunt enim qui iurant, Deum habere veritatem inſallibilem. Eius finis eſt controuerſarum terminatio, & ſtabilimentum charitatis. Cano. Omne quod. 22. Quæſt. 1. idem ex Tolenta. Concilio ſcribitur. Hæc *περὸς τὸ μὲν* vice dicta ſint.

Nunc ad rem veniamus. Inquit Lex, *Non accipies, vel assumes.* Ducta eſt metaphora nõ ab iis quæ humi iacent tanquam vilia, & attolluntur: ſed ab iis quæ conſeſſa ſunt contrectari. Per ſe ſunt homines indigni, ſiue cor ſiue os eorũ ſpectes, qui Dei nomen & maiestatem ſumant & attingat. Cor eſt pollutum. Genef. 8. Os quoque ipſum & labia polluta. Iſaiæ 6. verſu 5. Et tamen concedit nobis Dominus contrectare corde, ore ipſo noſtro contingere nomen ſuum.

Sumitur autem Dei nomen ipſius modi & inſtrumenti ratione tripliciter,

vel } Corde, Vt qui in corde ſuo malè de Deo ſentit, & de eius prouidentia.
Ore, Pſalmo 14. & eum tacitè ſpernit.
Facto, Leuit. 24. v. 15. 16.

Ore,

Ore, vt qui peierat, mentiēsq̄ Deum testa-
tur. Leuit. 19. versu 12. Item qui Deo maledicit,
eius nomen execratur. Leuit. 24. v. 15.

Facto, vt qui scriptis illius maiestatem lædit,
opera irridet, veritatē prophanat & oppugnat,
qualis Momus fuit, qui Dei opificium in homi-
ne reprehēdit. item qui de vanitate scientiarum
scribunt. Qui mundum hunc velut indignum
Deo opificium scriptis execrantur, vt Marcio-
nitæ. Nec obstat quod dixit Eccles. 1. versu 1. O-
mnia vanitas. Non enim dixit per se, sed ἅπαντα,
esse omnia vana. Nempe si ad dona cælestia
Deique metum illum æternum & durabilem, &
ad vitam æternam comparentur, illisque fida-
mus, sunt reliqua vana.

Nomen Dei. Vox hæc Nomen non sumitur
materialiter pro quibusdam literis aut syllabis
quibus Dei appellatio nobis innotescit. Est
enim vana superstitio syllabas huius nominis
ⲡⲉⲧⲁⲗⲉⲛⲁⲓ Iehouah, sacras venerabilēsque
credere. ~~Si in vanum dicitur nomen Dei in
idolo-~~

Quid est igitur nomen Dei? Respondent He-
bræi breuiter, יהוה יהוה יהוה, id est, ipse est no-
men suum, & illius nomen est ipse. Ergo tria si-
gnificat, Maiestatem Dei, vt Philip. cap. 3. v. 9. &
dedit illi nomē, & c. itē Dona Dei, & opera Dei.
Nam de essentia hîc nihil necesse est intelligi,
quando à nobis per se non cognoscitur, sed ex
attributis, maiestate, donis, & effectis. i. operibus.
De quibus si quis contemptim sentiat, irreueren-
ter loquatur, aut ridiculè agat, Dei nomen su-
mit in vanum, peccatque in hoc præceptum.

Ac primùm de prima significatione huius vocis *Nomen*, videamus. Significat Dei maiestatem, & quæ eam demonstrant, attributa, qualis est sapientia, Omnipotentia, Prouidentia, Iustitia, Veritas, & Misericordia, quæ qui spernit, lædit, negat, aut detrahit, ille peccat. Ergo varia peccatorum factorumque genera hoc primo membro continentur, nimirum hæc quatuor,

{ Hæresis,
 { Periurium,
 { Iuramentum illicitum, & quoad rem, & quoad formam, per quam iuratur.
 { Votum. Nā in iis omnibus Dei maiestas irreuerenter tractatur.

Ac hæreses quidem omnes Dei maiestatem lædunt, quia vel Dei essentiam negant, vel attributa, & ea vel in totū, vel in partem, vt qui concedunt quidem creationem Deo, sed non omnium rerum, qualis Plato, Manichæi, Marcionitæ, qui negant venena à Deo condita, corpus hoc ab eo fabricatum: sed vel ab Angelis, vel à dæmone aliquo. Vti enim fides orthodoxa tuetur Dei maiestatem illibatam & sartam tectam: ita hæresis minuit, & lædit. Et idcirco dicitur esse crimē læsæ maiestatis diuinæ. Nā omnis hæresis est blasphemia in Deum, & Antichristi opus, I. Ioannis 4. versu 3. etsi est necesse ad bonorum probationem eas esse. I. Cor. II. v. 19.

Sequitur periuriū. Sed quæritur quid sit periurium. Tullius libro 3. De officiis rectè definit, Peierare non est falsum iurare, sed est id non facere, quod ex animi tui sententia iuraueris, sicuti verbis conceptū est. Et ait Dominus ipse

Leuit.

Leuit. 19. versu 12. Psalmo 15. Non iurabitis nomen meum mentiendo. Is autem mentitur qui sciens fallit. Ergo ait Thom. 2. 2a. Quæst. 98. propriè periuriū non est, si qui iurat, id verū putat: sed si qui id falsum scit, vel putat, & tamen iurat. Chrysippus dicebat interesse inter peierare & falsum iurare. Cicero item lib. 3. De officiis. Sed & mentitur quoque qui putat id falsum, de quo iurat tamen. Nam linguam ream facit, mēs rea. Of. 4. v. 2. Ergo quæritur, Vtrum sit periurium, si non præsto quæ me posse præstare putabam, & fortè habebam tunc in potestate, & iuravi me præstiturum esse, vt si in fœdere paciscēdo Rex quid polliceatur quod postea non præstat. Vti Saul iurauit neminem esurum esse ante fugatos Palæstinos. Respond. Videndum esse diligenter quid præstare potueris ipse, & in quibus item rebus fuit Dei nomen adhibitum. Quia si non reuerenter aut consideratè iuratum est, Dei nomen in vanum accipitur, quam sæpe à culpa & crimine periurij qui promisit, absoluitur: quia vel Deus noluit ea fieri, vel vis maior prohibuit facere cū ipse, qui iuravit, præstare vellet. Hoc ipsum etiam ita definitum est concilio Toleta. 8. cap. 2.

Iusurandum est Dei tanquam mē daciorum iudicis attestatio. Est affirmatio religiosa, inquit Tull. lib. 3. De offic. Sed & si quid negatur, promittiturq; non factū iri Deo teste, est etiam iusurandum. Quid est iurare, nisi eius, quem testaris fidei tuæ præfulē, diuinam potentiam confiteri. Ambros. Epist. 30. Duplex enim est iusurandum, aiunt, Assertoriū de præterito, vel de præ-

fenti affirmatio vel negatio. Promissorium de futuro præstando. In utroque Dei nomen potest sumi in vanum, citra periurium tamen, vel propter rem propter quam iuratur: vel propter formam, per quam iuratur.

Ac rei quidem ratione triplex est conditio iurisiurandi, ut docet Hierem. 4. versu 2. Isa. 48. versu 1. Ut fiat in veritate, ne falsum iuretur. Hierem. 5. v. 2. Iustitia, ne illicitum quid pronuntietur in appellando Dei nomine, aut promittatur. Iudicio, ne indiscretè inconsiderantèrque & temerè, si ratio rei de qua agitur, momentumque iuramentum non exigit. In vniuersum duæ sunt causæ, propter quas si quis exigat, nobis iurare liceat. Nimirum vel tuendæ veræ religionis fidèique. i. doctrinæ gratia: vel charitatis conseruandæ eiûsq; publicæ, ut inter regna & Respub. paciscentes: vel priuatæ, si desit probatio, mansurumque sit litium semè, & discordiarum. Hebr. 6. versu 16. 2. Cor. 1. v. 23. Rom. 1. v. 9. 1. Thess. 2. v. 5. Philip. 1. v. 8. 1. Regum 8. v. 31.

Obiicitur 1. Thess. 5. versu 27. adiurat Paulus ut ea epistola legatur. Ergo pro re leuis momenti nomen Dei interponi potest. Respond. Non fuit ea res leuis momenti, sed maximi, quum ad totius Ecclesiæ consolationem pertineret, ad pios in doctrina Euangelij præsertim tempore afflictionum confirmandos, ut & illa quæ ad Colossenses scripta est. Coloss. 4. v. 16.

Sed de forma iurisiurandi quæsitum est, Qualis esse debeat. Nec enim omnis verborum conceptio licita & honesta est, per quâ Dei fit mentio. Ac primùm illud est notandum, iuramentum

ex voluntate & intentione iurantis, non autem eius cui iuratur, esse æstimandum & interpretandum. Can. Humanè. 22. Quæst. 5. & Canon. Iuramenti ibid. *Vide Decretum Gratiani lib. 1. c. 2. & 3.*

Deinde de eieratione & abnegatione Dei quæritur, Vtrum liceat ita iurare, Eiuro Deum, id est, *Renier Dieu*. Et quia ille omnem Dei metum exiit qui sic iurat, nõ licet sic iurare. Leuit. 24. v. 16. Os. 4. 2. Imò omnino impius est qui hæc pronuntiat.

De blasphemia quæsitum est, Vtrum sic liceat iurare. Est autè quum aliquid Deo tribuitur per quod illius naturæ fit iniuria, velut si quis iuret per corpus vel sanguinem Dei, vel per capillos Christi. Qui enim eos iurat, & per eos, tribuit eos diuinitati, quum tamen caro Christi & capilli sint creatura, & non Deus, & quum Deus carnem & sanguinem non habeat. ergo resp. Nec eo modo iurare licere, *Authè.* Ne contra naturam luxurientur homines, & ne quis per capillos Christi iuret, & est in Can. 5. Si quis per capillum 22. Quæst. 5.

De imprecatione & anathematizatione est quæsitum, vtrum sic iurare liceat. Resp. Licere: nempe, In caput meum ita sæuiat Dominus: Sic mihi addat & faciat, Sit testis in animam meam. & Petrus anathematizauit se. Matth. 26. ver. 72. 1. Cor. 16. v. 22. Modò ne sit inhonesta imprecatio. Sed modestissima reuerētissimæque Dei appellatio interponenda est, qualem veteres solebant, Sic mihi addat, & sic faciat Dominus, Sit Deus testis inter me & te. 1. Samuel sæpe. *Deus*
t. iij.

Cap. 9. ETHIC. CHRIST.

Quæsitum est vtrum per diabolos liceat iurare. Resp. Minimè. omnis enim diabolorum mentio fit cum Dei contemptu & irreuerentia. Est enim omnis mendacij parens, hostis que veritatis ab initio, sed & creaturæ est diabolus,

Quæsitum vtrum per creaturas liceat iurare, Augustinus in epistola ad Publicolam. Resp. Non licere per eas velut numina iurare: sed tamen licere eas appellationis nostræ inuocationis que de Deo testes facere. Sic Moses appellat terram & cælum testes. Deuteron. 30. versu 19, I. sa. 1. v. 1. Mich. 1. Obstat Amos cap. 4. versu 2. itè quod Ioseph iurat per caput & vitam Pharaonis, & vt est in l. 51. Duo patroni §. Si quis iurauerit. & l. Non erit. D. de iureiurando, iurabāt homines per genium principis. Genes. 42. vers. 16, & Tertullianus in libro ad Scapulam. Quod ad ius ciuile pertinet, fuit ille mos planè ethnicus, & plenus adulationis. Homines enim ad seruiendum parati: suis principibus (vti poetæ) numen inesse putabant. itaque per eorum genium & numen iurabant, & per eorum caput & oculos quos amabant. Vergil. lib. 4. Æncid.

— restor chara deos, & te tuumque

Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Et Ouidius,

Pèrque suos illam quondam iurasse recordor,

Pèrque meos oculos, & doluere mei.

Quod ad Iosephum pertinet, certè illud Iuramentum illi excidit, quod longa iam consuetudine cum idololatriis aliquid de eorum moribus, & loquendi ratione hauserat. Nec est imitandum.

Quasi

Quæsitum denique est, vtrum per idola iurare liceat. Et quidem hominibus piis & fidelibus iurare vetitum est per idola. Sopho. 1. 5. Amos 8. versu 14. Omnis enim idolorum mētio periisse debet inter Christianos. Psalmo 16. vers. 4. & Exodi 23. v. 13. Ergo neque per Sanctos licet iurare. Sed vtrum concedendum sit homini Ethnico & idololatræ, vt quum illi res est cum homine Christiano, iuret per sua idola, sitne hoc iuramentum à pio audiendum & admittendum. Ius quidem ciuile concedit peregrino per suos & peregrinos deos iurare: cui autem per communes & proprios & suos l. Non erit ratū. §. Sed si quis illicitum. D. de iureiur.

At quærimus quid Theologi sentiant, & in foro conscientiæ sit dicendum & statuendum. Dissentit in eo à Tertull. Augustin. Ille enim in lib. De idololatria, non putat licere, neque censet tale iuramentum concedendum. August. in epist. ad Public. & est in cap. Mouet te. 22. Quæst. 1. putat admittendum huiusmodi iuramentum etiam à pio homine. Et verior est Augustini sententia, argumēto eorum quæ scripta sunt Gen. 31. v. 53. Iurat Laban per deum Nachor. Iurat Iacob per Deum Isaac.

Sed re stabilita confirmatâque iuramento ea forma concepto, qua licet, & inter quos licet, vtrum restitutio in integrum peti darive possit, de eo negotio, de quo iuratū est. R. Si ius ciuile quæritur, licet. Sin de iure diuino agimus, aliud videtur statuendum. ~~Vide De iureiuramento libro~~
~~ultimus de iureiuramento~~ Distinguunt igitur quidam, vtrum dolus malus causam dederit contractui,

an non, ex l. Rem maioris. C. De rescind. vendit. Si dederit causam dolus malus contractui, putat licere, quia qui errant & decipiuntur, non consentiunt. Sin verò non dederit causam, etsi in rei pretio deceptio est, non putant de eo negotio restitutionem in integrum dandam, de quo semel iuratum est. Psalmo 15. vers. 4. Propter sacrum Dei nomen interpositum, ut est in Leon. const. 72. & in cap. Quanuis. Fides enim seruanda est, etsi damnū ex ea seruata emergit. Ac ne quidē, si res minus dimidia iusti pretij parte distracta atq; vedita sit, fieri debere putant. *Calumniis iuramentis.* Verū est tamen, si qua in re auxilium Legis detur fraude decepto homini, licere illi eo auxilio vti. Quæ enim temerè iuramenta fieri à Magistratu animaduertuntur, & vnus partis dolo interueniente interposita sunt, ea sunt punienda. Et quia calumniis & fraudibus hominum non est fauendum, quod in alterius perniciem fraude vnus gestum est, rescindi publica autoritate potest & debet, sed ex causæ cognitione. Nec qui fraude alterius deceptus postulat se restitui, violat iuramentum: quia qui decipitur, non consentit. Sic David quum animaduertit se à Siba seruo Miphiboseth deceptum, rem restituit, promissumque suum rescindit. 2. Samuel 19. versu 24. Si sine fraude emptoris damnus patitur venditor, ob interpositum Dei nomen, restitui non debet, Vide Lombardum libro 3. Distinct. 39. Sed 22. Quæst. 2. in malis promissis, rescindendam fidē esse dicitur: & verè quidem, quia fides huiusmodi penitus nulla est dicenda, ut si iurem me furaturum.

Quæsi

Quæsitum est vtrum hosti fides seruanda sit, & quia duplex est fides, publica & priuata, itém que hostis duplex, alius religionis hostis, hæreticus & Ethnicus dicitur: alius nationis, & reipublicæ, qui dicitur peregrinus & perduellio. i. Vtrum & hæretico & perduellioni & publica & priuata fides seruanda sit. Resp. Seruandam esse. Id quod autoritate Scripturæ probatur. Ios. 9. de Iosue & Gabaonitis, quibus datam fidem sed postea violatam, acerbissimè vltus est Dominus. 2. Samuel 21. Sic Augustinus in Quæst. in Iosue. l. Seruius D. De negot. gest. Sedechias punitur à Deo quòd infideli regi, nempe Nabuchodonozori datam fidem non seruasset, & fœdus iustum rupisset. 2. Chronic. 36. v. 13. Et hoc etiam ipsum faciendum esse dicitur lex naturæ, & ius gentium. Et nota est historia de M. Attilio Regulo, & quæ Tullius de ea re scribit libro 3. De officiis. Ambros. lib. 3. De offic. c. 10. Ergo etiam hæreticis & infidelibus est seruanda fides, & iuramentum, quia etiam cum iis omnia sunt nobis communia quæ ad vitæ huius societatem pertinent: aer, aqua, terra, pacta, contractus, cõmercia, vrbes, bellum, pax. 1. Corint. 5. v. 10. Matrimonium durat cum iis. & ait Thomas 2. 2. Quæstio. 98. Artic. 3. Omne periurium per se est peccatum mortale, etsi Cicero lib. 3. De offic. ex Accio obiicit.

Neque do neque dedi fidem infideli cuiquam.

Vtrum latroni dandum quod vi promiseris pro capite. Non putat Caluinus, in Psalm. 15. quia versatur in eo publicum incommodum, nõ priuatũ tantum. Cõtrà P. Martyr in lib. Iudicũ cap.

3. putat seruandam fidem : tamen extat historia Ieremiæ. 41. v. 8. ambigua.

Quod autem Scholastici exceptionem huic præcepto addiderunt, ~~hinc vultur per se in pie.~~ Inualuit enim iam hoc dictærium, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*, quo certè omnis iurifurandi sanctitas & authoritas est sublata. Itaque quando malum malo protrudendum, tãquam malus nodus malo cuneo, non est (quicquid vetus prouerbiũ dicat) sed bono malum est compensandum ex Christi præcepto : quando item nunquã Dei maiestatem violare debemus, idcirco fides à nobis Christianis est seruanda, etiam ei qui fidem nobis frangit, ne in similitudinem accusationem meritò incidamus. Contractus tamen authoritate iudicis rescindi potest, in quo altera pars fidem non præstat. *Sed vide Pontum Maximi Baguo.*

Sequitur de voto, in quam quæstionem hæc quatuor capita incidunt. 1. Qui vouere possint. Resp. Qui sunt sana mente, & sui iuris, non autè mente capti, aut in aliena potestate, sine eorum consensu, in quorum sunt potestate. Leuit. 27. l. 2. D. de pollicitationibus. Numer. 30.

Secundum, Cui votum nuncupari concipi q; debeat. Resp. Soli Deo. Est enim votum promissio Deo facta, inquit Magister sententiarum lib. 4. Distinct. 38. 20. Quæst. 1.

Tertium, Quæ res Deo voueri possint. Respond. Quæ neque à Deo prohibita sunt, neque impossibilia, neque inhonesta, & offendiculum præbitura. ~~Et quæ sunt, & non in potestate nostra~~ tum nõ est in nostra potestate res, quæ vouetur. Leuit.

Leuit. 27. & Iephte exemplum docet non quilibet voueri posse, sed quod licitum est Dei verbo. Iudic. 11. v. 30. Nam nec meretricis merces & inhonestus quæstus Deo voueri potest, neque pars furti. Sed neque res vitiosa, clauda, manca. Malac. 1. v. 13. In malis promissis rescinde fidem. 22. Quæst. 2.

Quartum, De voti perfolutione, de qua agitur Eccles. 5. & 18. Deuteronom. 23. v. 21. Matth. 5. v. 33. Sed & de voti redemptione agitur, si quando impleri non potest, quod est verbis conceptum. Leuit. 27. & est tit. Extra. de verbi redemptione.

Secunda nominis significatio sumitur pro Dei donis, quæ non sunt spernenda, corrupenda, & contemptim habenda. Tunc enim Deus ipse spernitur, quum eius ipsius dona spernuntur. Inter quæ dona præcipuum est verbum Dei, & ingenij dotes, intelligentis, & agentis. Intelligentis animi dotes sunt intellectus ipse, *uolens* dicitur, vt ait libro 6. Ethic. Aristot. Sapientia, Scientia, atque Ars. Agentis autem Prudentia. Ergo omnes artes hoc præcepto commendantur, etiam Agricultura, quæ est ars necessaria, & laudatur. Prou. 14. v. 4. Eccles. 7. & 20. sed & reliquæ disciplinæ. Eccles. 38. 27. 28. & seq. Neque obstat quod dicitur Eccles. 1. v. 17. artium cognitionem, & vanam & operosam esse. Resp. Dicitur illud *κατά τιν* accipiendum est, quatenus iis solis velut summo bono & fini inhæremus: nõ quatenus sunt Dei dona. Et dixit rectè Tull. Philosophiam esse deorum donum. Plato dixit esse deorum inuentum. Neque obstat quod ait

Paulus Coloss. 2. v. 8. φιλοσοφίαν euitandam, quia sit κενὴ ἀπειθή. Neque. n. id de vniuersa philosophia dictum est, sed de sophistica, & eius tantum abusu, vt docet Socrat. lib. 1. Eccles. histor. Nam tantum σοφιστικῶ à Christianis reprehensam, dū quis eam didicit vt ea abutatur, non autem vt per eam sibi caueat.

Sed quod ad Dei ipsius verbum, multis modis Dei nomen, per prædicationem accipi in vanum potest ex parte docentium illud, & pastorum, item discipulorum, & auditorum.

Ac quidem falsi prophete hoc præcepto damnantur. Ij autem sunt qui vel quoad substantiã doctrinæ, vel quoad formam docedi, vel quoad finem docendi verbum Dei corrumpunt.

Ergo hæretici qui falsa docent, hoc præcepto continentur: & falsi prophete, qui sua somnia pro Dei verbo, & inuenta sua pro sana doctrina euulgant, & proferunt, de quibus toties apud Hierem. & Ezech. 13. item 33. & 34. Osee 9. v. 7. Isaia 56. v. 10.

Quoad formã docendi, velut in Eudoxo, qui dicebat, est Pater ἀσεβής, Filius ἀσεβής, est ἐπιεσθιδασιλία, apud Paulū, quæ ad doctrinam, & ad modū rationemque docedi pertinet. 1. Timoth. 3. Formam ait, id est, τύπον sanorum verborum habe 2. Tim. 1. 13. & oportet nos esse ὀρθοτομίεντας. 2. Timoth. 2. v. 15.

Quoad finem, peccat Simoniaci, & qui quæstus odiuē causã de Christo concionantur, quales commemorat Paulus Phil. 1. v. 15. item qui deserunt vocationem suam. Ion. 1.

Præterea qui verbum Dei cauponantur, non autem

autem concionantur purè de eo, & sana consciētia. 2. Corinthiorum 4. v. 2. (Dixit Paulus se *ie egu-
767* Rom. 15. v. 16.) damnantur.

Sed & pastores negligentes, & qui defunctoriè in suo officio versantur, hoc peccati genere & criminis sunt rei. Malachiæ 2. v. 8. Ezechielis c. 13. Qui non student, aut qui palpant vitia, nec curant.

Denique qui dicunt bonum, malum: & contrà. If. 5. v. 20. Mich. 3. v. 9. Habac. 2. v. 15.

Ex parte auditorum accipitur nomen Dei in vanum. Ab hypocritis, qui factis Deum negant. Tit. 1. v. 16. Roman. 10. v. 10. Ezech. 14. Ab iis qui in dicteria & scommata verbum Dei commutant, vt risum moucant. Etsi enim sermo noster esse debet cum sale, tamen non est abutendum Dei verbo. Coloss. 4. v. 6. Sed & qui dicunt, Templum templum Dei. Hier. 7. eo abutuntur.

Sed & qui Dei verbum persequuntur: & Domini Prophetas occidunt, vel eiiciunt, hoc eodē peccato & crimine tenentur. Sed & quicos cōtemnunt. Ait enim Dominus, Qui vos spernit, & me spernit. Amos 6. v. 6. 7. v. 10. Zachar. II. I. Samuel 8. v. 7.

Tertia significatio nominis Dei significat & complectitur opera Dei, quæ si quis spernit, & contemptui habet, aut iis abutitur, Dei nomen accipit in vanum. Ergo damnantur qui tentant Deum, Matt. 4.

Qui murmurant aduersus Deū. Ioann. 4. v. 1. Malach. 3. versu 13. & contra eius opera, iudicia, & consilia.

Qui Dei opera cauillantur & reprehendunt,

vt Momus, quia ea non intelligunt. Quod etiam ipsum fieri vetat Hesiod. lib. 2. *Ἐργ. καὶ Ἡμέρ.*

De imprecationibus autem & diris quæ Dei nomine inuocato fiunt, quæsitum est, vtrum ad hoc præceptum pertineant, quales multæ in Psalmis, & imprimis Pf. 109. Pf. 55. v. 15. extant. Resp. Si tanquam in proprios inimicos à nobis fiat, damnantur. Iubemur enim diligere inimicos, & pro iis precari. Matt. 5. Psalm. 141. v. 5. Sin verò in eos tanquam Dei ipsius hostes deploratos, & omnino conuictos, fiant eæ imprecationes, non damnantur. Nehem. 6. v. 14. modò tamen nec temere, nec falsò, quosquam tales esse præsumamus.

Qui diei suo natali maledicunt, aut alicui Dei operi malè imprecatur, aut diabolo deuouent, & hi quoque hac legis parte damnantur. Etsi enim Iob & Ierem. Iob. 3. v. 3. & Hieremię 15. v. 10. diei suo natali maledicunt, non sunt tamen in eo imitandi.

Denique qui Dei creaturis abutuntur, vel ad incantationes, vel ad purgationes vulgares, & ad diuinationes, vel ad superstitiones, & Magiam, rei tenentur huius criminis & peccati.

Ergo etiam curiositas omnis hoc præcepto damnata est. Prouerb. 10. 25. Ecclesiast. 7. versu 11. & 21. ver. 25. atque abusus gratiarum Dei siue cœlestium, siue terrenarum.

De pœna & sanctione, quæ huic præcepto addita est, nunc est agendum. In quo secunda pars huius præcepti posita est. Ac primùm queritur, cur pœnam adiecerit Dominus, quum alia pœna quoque sit addita Leuit. 24. v. 16. item Leuit. 6. Resp. Vti animo & corpore cõstamus,
&

& utroque peccatur, sic & animi & corporis pœna esse debuit. Ergo pœna animi hęc cōtinetur, pœna verò corporis Leuit. 24. quæ dicitur pœna iudiciaria & politica: hæc autem ad animorum salutem refertur, quæ longè politica grauior est.

Sed quæsitum est, cur addita sit, quum superioris præceptum comminationem habeat in omnes Dei osiores, & contemptores. Respond. Duplici de causa. 1. Ut sui nominis maiestatem nobis hac ratione Deus magis magisque commendet & vindicet à contemptu. Ergo non est contentus generali pœna, ut eam sanciret, sed hanc etiam specialem addit. Hic enim ferè est primus ad manifestam impietatis professionem lapsus & gradus, nominis Dei blasphemia & contemptus. Ergo in eo coercendi fuerunt homines, & statim, ne longiùs prolabatur, retrahendi. 2. Ferè apud homines vilescit hoc genus sceleris, & pro nihilo ducitur. itaque neque legibus ferè puniunt, neque pro vitio habent homines, adeo, ut quemadmodum Saluianus episc. ait lib. 4. scelera & facinora etiam ipsa quidam iurent & promittant per Christum se facturos. Dixit etiam impius ille Ouidius,

Iuppiter in celo periuria ridet amantum,

Atque iubet tepidos in mare ferre Noros.

Id quod antea dixerat Callimachus, ut Stobæus refert *λός* 28. In legibus certè Rom. l. Iurisiurandi. C. de Reb. creditis & iurciur. sic scriptum est, magno tamen nominis Dei contemptu, iurisiurandi contempta religio solum Deum habet victorem. Neque vlla alia pœna punitur hominum

Cap.9. ETHIC. CHRIST.

sanctionibus periurium: nisi fortasse dicatur esse crimen stellationatus, quod & ipsum leue crimen esse censetur. Ergo vt hunc hominum errorem tolleret Dominus, sanxit ipse pœnam specialem in contemptores sui nominis. Plutarchus reprehendit Lyfandrum in ipsius vita, quòd diceret homines vti posse pro suo commodo iuramentis, vti pueri vtuntur astragalus: Idem in Æmilio scribit Macedonas vsos esse iuramento, vti moneta, quasi re ἀδραφόρη, & pro sua utilitate illud seruantes, vel violantes, quod vtrisque malè cessit. Improbis igitur, & omnino damnandus est is mos, quem inter Francigenas vsitatum scribit Bernardus Epist. 219. vt etiam iurandum publicè datum violetur & negligatur, si id ex vsu reipublicæ esse censeant illi ipsi, qui violant. Idcircoq; Saluianus episcopus Massiliens. lib. 4. de Prouident. Dei vocat Saxonas feros, & Francos infideles, quòd periuriū ipsum tantum putant sermonis esse genus, addit idem, non criminis. Imò fractæ in Gabaonitas fidei pœnas luit posteritas Saulis. Denique meritò Plutarchus in Agesilao reprehendit hoc dictum, Nihil aliud iustum est nisi quod Spartz vtile est.

Sed obiicitur, videtur esse lenissima hæc pœna, *Non habebit Deus pro innocente.* Resp. Esse grauissimam. Quum enim omnis nostræ & præsentis & futuræ foelicitatis fons & causa sit vna Dei misericordia, gratuitaque peccatorum remissio. Psalm. 32. Isaiæ 58. 27. v. 9. in perpetua rerum miseria versetur necesse est, & in hoc & in futuro sæculo, si Dominus peccata nostra retineat,

neat, neque eorū obliuiscatur. Psal. 130. v. 3. Ergo Eccles. 23. dicitur nunquam plaga esse abscessura ex illius familia & domo, qui periurus est. seduloq; propterea monet Ambrosius tum lib. 3. De officiis cap. 12. tum in Exhort. ad virgin. ne iuramentis affuecamus. & Eccl. 23. & 27. Et Philo in Decalogo ait, ἡ γὰρ πίστις τεκμηριον πολυπραγίας, ἀλλὰ ἀπιστίας ὅτι ὄργη τοῖς ἀφρονοῦσι.

De violati iurisiurandi pœna, miróq; Dei iudicio & in eo prouidētia, vide Herodot. lib. I. de Cydia & Archelimo, quod refert Stob. λόγ. 28.

Videndū est autem de reliquorū populorum legibus. Et quidē apud ipsos Iudæos, vt Rabbi tradunt, fuit quoddam iudicium, quod appellant iudiciū zeli, quo absoluebātur ij, qui quum audissent nomen Dei blasphemari, non expectato iussu magistratus, occidissent blasphemos, de quo putant agi Zachar. 13. v. 3. Deuter. 13. v. 6.

Apud Rom. hæc fuit nomothesia, vt si per Deum iurans quis peieraret, ad Deum ipsum plectendus remitteretur, quem satis esse idoneum suæ maiestatis vindicē dicebant. dicta L. iurisiurandi. C. de reb. credit. & iureiurand. Sin per genium principis quis iurans peierasset, castigabatur fustibus cum hoc elogio, Temerè ne iura l. si duo patroni §. fina. D. de iureiurand. At si rem & pignus quod dabam, iuravi esse meū, nec est, est crimen stellionatus, & punitur hoc periurium exilio ad tempus l. De periurio, D. de crimi. stellionat. Hesiodus lib. I. Εὐρυχὲς ἠμῆρ. ait periuria à Deo grauius tandem puniri. Homerus lib. 4. Iliad. cum Hesiodo consentit, imò periuria detestatur his verbis,

Cap. 10. ETHIC. CHRIST.

Ἀλλ' οἱ αὐτοὶ πρῶτον ἐσθ' ὄρνια δηλήσαντες,
τῶν ἡτοῖ αὐτῶν τέρενα χεῖρα γυπὸς ἔδονται.
id est,

*Sed qui primi in iurandum periurio violauerint,
Eorum corpora tenera vultures depascunt.*

Olim diales flamines non iurabant, Plutarchus in Quæst. Rom. 44. Nunc Monachi non iurant, si ipsis credimus, certè ex ipsorum regulis iurare non debent.



CAP. X.

Quarti Legis diuinę præcepti, quod est, Memento ut diem Sabbati sanctifices, &c. explicatio.



C primùm de ordine huius præcepti quæsitum est. Et constat esse quartum in ordine Decalogi. Ambrosius in Epist. ad Ephes. 6. vers. 2. Et Philo in expositione *ἑκὰς λογίαν τὸ τέταρτον*, ait, ἐπὶ ἀπὸ ἑξομοιωσῶς. Appositè autem & ordine superiori subiici putat Thomas 2. 2æ. Quæst. 122. quia remotis impedimentis vera religio erat & docenda, & tradenda, quod hoc præcepto fit. Nos autem aliam rationem diximus. Agitur iam de particulari Dei cultu externo, quem ipse instituit, pietatis nostræ testificandæ gratia. Sine externis & certis quibusdam religionis exercitiis homines in Dei metu & officio suo contineri non possunt. Sed quidam obiiciunt oportuisse hoc præceptum primum collocari, quia fit antiquissimum etiam ante